DE ANGINA POLYPOSA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE SIBI CONCILIANDIS

DIE XXV. M. AUGUSTI A. MDCCCXXXVI.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

VINCENTIUS ODRZYWOLSKI

POLONUS CRACOVIENSIS.

OPPONENTIBUS:

C. MAZURKIEWICZ, MED. ET CHIR. DR.

A. ALEXANDROWICZ, PHAR. MR.

L. WIŚNIEWSKI, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

HASCE

LITTERARUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Ex magna illa materierum medicarum farragine descriptionem anginae polyposae mihi pro dissertatione elegi; non quod crederem, me aliqua inaudita de hoc morbo in lucem prolaturum esse, sed ut legibus academicis satisfacerem. Vanum igitur irritumque foret conamen artis adhuc tyroni et parca experientia praedito si nova de hac re proferre velit, de qua praestantissimi viri in Germania, Gallia, Angliaque multas atque multas in diversis operibus descriptiones dispersas reliquerunt; has enim maxima

cum assiduitate colligere et in unum redigere conatus sum non absque critico examine. Quare L. B. si quid contemtu dignum invenies autori, vix e collegiis egresso, parce.

§. I.
DE ANGINA UNIVERSIM.

Qualecunque impedimentum respirationem et deglutitionem difficilem, dolorificam aut etiam, impossibilem reddens, cujus causa supra thoracem, et quidem in ipsis partibus eas functiones absolventibus existit, generali nomine Anginae seu Cynanches, Synanches: Germ. Bräune, Halsweh; Gal. Esquinancie; Ital. Squinanzia; Poloni Slinogorz insigniri solet.

Etymologia. Angina provenit ab verbo ango et graeco ἀγχω id est suffoco, strangulo; alii enim anginam ab ἀγχόνη laqueus, ac si laqueo praefocati essent aegri, derivare malunt.

Antiquissimis temporibus anginam dividebant in:

Κυναγχην ubi aegri anheli, lingua exserta, facie inflata livida, oculis sanguine fusis et prominentibus instar canum cursu agitatorum, aut laqueo strangulatorum. Παρακυναγχην levior gradus.

συναγχη ubi pharynx inflammata aut etiam oesopha-

gus, deglutitio dolens aut impossibilis; bolus deglutienda per nares redditur, vel in laryngem repulsa tussim violentam excitat.

Si iterum levius malum fuerit παρασυναγχη audiebant.

Omnes hae terminologiae jam ab **Galeno** jure contemptae quam mere arbitrariae et nullius prorsum valoris.

Moderni adaptati, quibus vel substratum morbi speciale vel indoles ipsa adprime indicatur, termini, praeferendi sunt.

Omissa varia atque varia anginarum divisione diversis temporibus a medicis proposita, et fugiendo errores nostris adhuc temporibus occurrentes, et in hoc consistentes, quod medici datam definitionem sequentes morbos mere nervosos in numero anginarum collocarint. Quare alia definitio anginarum ab Clar. Valen. ab **Hildebrand** proposita quam optima mihi arrisit, qui dicit: „Angina est adfectio faucium ac partium adjacentium cum inflammatione ac febri, quam impedita et dolens deglutitio vel respirationis difficultas vel utraque simul concomitatur."

Divisio enim anginarum secundum sedem phlogoseos, indolem ejus et characterem concomitantis febris, quam accommodatissima mihi videtur.

§. II.

DE ANGINA POLYPOSA IN SPECIE.

Definitio Anginae polyposae ejusque Synonyma.

Nomine anginae polyposae sulutamus Tracheitidem catarrhosam acutissimam, infantibus eminenter infensam

cum particulari in hypoclepsin lymphatico-plasticam nisu ita quidem, ut jam primis quandoque diebus lymphatica concrementa in superficie laryngis et tracheae efformentur, quae vocem mirum in modum alterant, anxietatem maximam et suffocationis periculum inducant. Horum characterum gratia sequentes a variis medicis sortitae sunt denominationes.

Angina membranacea seu polyposa a Bardio, Murrayo, Michaeli aliisque et mihi quoque angina polyposa jure majore appellari videtur, non solum proptor materiae exsudatae seu sic dictae pseudomembranae cum polypis sanguine orbatis similitudinem conspicuam; sed etiam propter vim vitalem organisationi hujusce pseudomembranae propriam eique polyporum analogam. Tracheitis exsudativa ab Henkio. Tracheitis infantum ab Albersio. Angina exsudatoria ab Aurivillio et Wilkio. Morbus infantum strangulatorius a Baeckio et Salomone. Asthma suffocativum a Bergenio. Asthma infantum suffocativum seu acutum infantum a Cooksonio. Cynanche stridula a Crawfordio. Cynanche trachealis a Cullenio. Angina suffocativa ab Engstroemio. Suffocatio stridula ab Homio et Machridio. Catarrhus suffocativus ab Ettmüllero. Angina trachealis a Johnstono, an: trachealis polyposa a Lotichio. An: trachealis humida a Rushio. An: infantum strangulatoria a Rosselio. Cynanche strangulatoria a Wahlbomio. Scotis the croup vel Chock, vel Stuffing. Anglis the rising of the ligths. Americanis Bladder in the throat. Suecis Strypsinka. Germanis Hühnerhusten, Hühnerweh, Stückbräune, häu-

tige Bräune, Schafhusten, Fell auf der Brust. Polonice Slinogorz blonisty. Krup.

§. III.
MOMENTA HISTORICA ANGINAE POLYPOSAE.

De prima hujus morbi cognitione digladiantur inter se medici. Sunt enim, qui affirmant, hunc morbum recentissimis temporibus modo obortum esse, idque exinde probare student quod nulla certa priori tempore illius mali descriptio adsit elaborata. Alii vero eum de quo sermo est morbum haud novum esse credunt; nam veteres hunc morbum novisse demonstrant, inter caeteros Hippocrates (vid. Hippocrat: in praenotat. coll. Sect. II. edit. Foesius: „Anginae in quibus collo neque in faucibus quidquam apparet, inquit sed quae in vehementem suffocationem ac respirandi difficultatem ferunt, eodem aut tertio die necant.“ Ibi pag. 146. Ex angina viscida crassa, albida vi educta malum denunciant, omnisque ejusdem maturatio mala est. Galenus 752. Ubi nec fauces nec reliquae oris partes nec etiam externarum partium ulla inflammatio videtur, laborantes tamen suffocationis periculum sentiunt. Idem de loc. affect. libr. I. Tom. II. ita cum adolescentulum tussiendo tunicam viscosam crassamque eiicere viderimus, coniicimus eam internam esse gutturis partem quae ligulas (ἐπιγλωττιδα) vocant constituit et sanatus adolescentulus etc. Siculi medii aevi scriptores Ballonius, Bonetus, Nicolaus Piso et alii mentionem ejus fecerunt, quos nominare omnes locus prohibet. Et mihi ipsi si tyronem loqui decet, ille morbus haud novus esse videtur, nam exacta disquisitio ejus primis temporibus ex interdictis

cadaverum sectionibus impossibilis erat, attamen de ejus existentia, etiamsi obscurae tamen mentiones factae fuerunt. Ab anno 1746 ad 1749 epidemica observata fuit haec anginae species in variis Europae proviniciis, in Gallia, Anglia, Italia. Ita Martinus Ghisi eam annis 1747 et 1748 apud Cremonenses populariter grassari vidit et egregie descripsit (Lettere mediche Tom II. pag. 100.) Paulo serius medici Sueci: Darelius, Strandberg et Rosenstein, utiles animadversiones subjunxerunt; primus enim, qui subtilem et locupletem hujus morbi juris publici fecit descriptionem erat Franciscus Homius, quem decem annis post excepit C. F. Michaelis, quem iterum seriori tempore plures secuti sunt medici in re medica non infimum locum tenentes, uti Autenriethius, Formeyus, Goelisius, Frankius, Heimius, Sachsius, Vogelius, Wichmannus et alii, et etiam silentio non praetereunda sunt scripta eorum, qui, cum Napoleon Francogallorum quondam imperator, fratris filii exitum lugens, praemium ei promisisset, qui, quae ad Anginae polyposae pathologiam et therapiam spectarent, optime pertractasset, hanc laudem efflagitarunt et praemio donati sunt: Albersius et Jurinus, quorum opera sunt:

J. A. Albers, de tracheitide infantum, vulgo Croup vocata commentatio. Lips. 1816.

Jurine, Preisschrift über den Croup. Aus dem Franz. von Heineken. 1816.

§. IV.
NOSOGRAPHIA

Nonnunquam morbus subito accedit, plerumque so-

litis catarrhi incipientis symptomatibus orditur: gravedine nimirum, cephalaea, raucedine et tussi sicca, nec non levi febricula ad vesperas exacerbante, praeter quas saepe nonnulli dolore obtuso in larynge et superiori parte tracheae officiuntur, hine inde inconspicue tument glandulae colli. Infantes nativam hilaritatem et consuetam ad jocos aliaque oblectamenta proclivitatem amittunt; hinc querulosi, tristes, pigri, delassati, sub quavis tussi lacrymas fundunt, crebrius sternutant, serius narium secretio copiosior conspicitur, deglutitio vel illaesa vel quadam ex parte difficilior videtur et vox parum aspera et rauca. Haec enim signa prodromorum, si adsunt sensim sensimque increbrescunt, plerumque duos aut tres dies explent, rarius per longius observantur temporis spatium; et syndrome horum malum futurum auguratur.

In ulteriori morbi progressu, tussis primum initio per majora reccurrens intervalla et sicca, nunc proprium edit sonum raucum, plerumque altum, raro demissum quasi latrans evadit nempe latratum caniculi aemulans et dolorem in organis adfectis excitat; simulque vox specifice alteratur, fit stridula, acuta, cum pullorum pipientium sonitu comparanda, rarius adeo rauca et clangosa, ut boni observatores similem existiment illi suis mactatae, aut cani latranti, vel quasi ex tuba metallica veniret; quod vocis vitium continuum esse solet, quin manifeste remittat. Oculi fulgentes in lacrymis navigantes protrusi. Facies multum turget atque rubet et fugaci quandoque tingitur erythemate. Venae frontales et jugulares infarciuntur; lingua et tonsillae muco tenaci teguntur. Deglutitio mox illaesa manet, mox in gratiam faucium una inflammatarum plus minusve difficilis red-

ditur, sitis urget, appetitus viget, respiratio praecipue inspiratio in dies difficilior redditur, fit sibilans, stridens, imo interdum intercepta, et nulla respirationis difficilis causa in cavo oris et faucium detegitur et in faucibus nonnulli constrictionis sensum accusant, anxietas augetur et irrequieti corporis jactitatio maxime noctu. Angorem et spirationis impedimentum infantes continuo divexare, tum ex eo desumi potest, quod laboriose respirent, tum quod saepius ex somno expavescunt et manibus guttur automatice tangant; angores et oppressio pectoris notabiliter augentur, dum erigitur aeger aut sedet, levantur dum supinus cubat, alvus obstipata, urinae flammeae, cutis sicca, cor et arteriae vehementer pulsant, pulsus frequens, celer, durus, saepius contractus et suppressus, quam liber et plenus.

Nunc nisi morbo therapia conveniens opponatur cuncta symptomata celerrimo progrediuntur passu.

Difficultas respirationis, inquietudo, anxietas continuo crescunt et sine intermissione perdurant. Dolor in trachea huc dum obtusus et tussiendo, sermocinando, flendo solum excitandus, nunc major vexat, pressione ad laryngem contrectatione tracheae et etiam capitis motu intenditur. Ingravescentibus tum localibus tum febrilibus symptomatibus; tumor non raro ad utrumque laryngis latus emicat, qui levi tantum compressione dolorem efficit. Tussi brevissimis intervallis redeunti, aridae, et parcis sputis mucosis aut membranularum ejectione comitatae, suffocationis metum omni momento iniicienti associatur, saepe vomitus, quo non contenta solum cum pituita et bile e ventriculo, sed fluida etiam serosa, mucosa, spumantia, serius autem flocci et massae membra-

naceae e viis respiratoriis extricantur, cum levamine manifesto consuetim autem transitorio; epistaxis quandoque adjungitur. Massae membranaceae ejectae vel fasciolas angustas, aut latas sistunt, vel frusta difformia aut globosa vel coagula polyposa aut canaliculata formam canalis tracheae ac bronchorum referentia, quae vel mollia sunt, medullosa vel tenacia splendentia alba aut rubella, striis songuineis aut vasculis imo sanguiferis notata, quandoque grisea, aut brunea aut nigro viridicantia. Febris ab initio major aut minor nunc continua calore urenti, cuti sicca et siti tantalea stipata. Pulsus frequentia ita crescit, ut tandem vix numerari possit, debilissimus, mollis et intermittens. Urinae antea inflammatoriae flammeae bruneae, nunc sunt parcae, jumentosae, sedimentum puriforme deponentes. Si ab initio morbi non adfuerunt spasmi et convulsiones, quod saepe fit, nunc saltem saepissime morbo associantur, quae eo fortiores, atque frequentiores, quo juniores debilioresque sunt aegri.

Aegri nunc, jacent in statu soporoso ex quo nonnisi per invasiones tussis minus intensae et apparenter resolutoriae excitantur, et ita expergefacti summa anxietate cruciati, ad quam sublevandam in lecto continuo se jactitant, in nullo fere situ acquiescere valentes ac interdum capite ponevorsum flexo levamen aliquod percipiunt, profundiorem spiritum adtrahendi gratia, pedes et manus potenter contra spondam adplicant. Laryngem qualibet respiratione propulsum atque alte tractum manibus quasi automatice tangunt. Nonnunquam summa vi ex oris cavo protrahunt linguam, ut sanguis fundatur. Extrema anxietate pressi, mordent digitos, capillos

evellunt, corpora vicina arripiunt, adstantes amplectuntur, gemebundi et anxii clamitant, donec plurimum saepe exhausti in lectum relabantur. Sub quovis tandem respirandi conamine musculi abdominis, cartilaginosi costarum inferiorum fines, cartilago ossis sterni xyphoidea tam profunde retrahuntur, ut dorsum adtingere videantur. Os atque nares ample hiant, vox fere extincta. Inspirationem parvam, brevem, sibiliosam excipit expiratio gemebunda. Impedita sanguinis in pulmonibus circulatio singularem nunc demonstrat aegroti habitum singularemque exhibet faciem. Etenim omnis facies tumida est, aut laete rubet, vel livet et obtegitur una cum fronte sudore frigido profuso ac viscido. Oculi ex orbitis prominent cum axibus distortis nec non inflammati conspiciuntur. Labia et ungues caerulescunt aut livent, manus pedesque tument, carotides atque arteriae temporales pulsant et cor inaequali rhythmo palpitat. Nunc enim sub tussi haud raro alvus involuntarie solvitur. Urinae sponte profluunt aut maxima inquietudo omnem tenet aegrotum, qui rhoncho vexatus, nausea et vomitu interdum excruciatur. Tandem cadentibus cunctis viribus accedunt animi deliquia atque systematis nervosi omni ex parte perturbati signa et infestissimo morbo mors repentinum imponit finem.

Haec autem mors teste Simsio in iis, qui repente in hunc morbum incidunt, quarta aut quinta morbi hora observata est, primo aut secundo die hanc mortem viderunt pluries Albersius, Alexander et Bayleyus, plerumque autem intra octiduum imminet, rarius die 11mo observata. Ceterum variis sub signis hoc in morbo mors instat, cum nonnulli conscientia fere privati inter

summam anxietatem et stertorem, nec non cum maxima spirandi difficultate, supremun obeant diem, alii mentis haud impotes et quietiori respiratione gaudentes, placide moriantur, alii convalescentiam simulantes cito suffocatione humanis eripiantur rebus. Causa hujus mortis triplex statui potest, mox lympha plastica et materia fibrosa in trachea exsudatae transitum aëris prorsus tollunt et tali modo suffocationem provocant, mox nervorum tracheae inservientium spasmus suffocationi omnem exhibet causam, mox vero oritur apoplexia et summa debilitas oxygenii in sanguine defectu orta, mortem efficit, mors vero in hoc morbo vario modo suam ludere scenam solet, de quo inferius diffusius disseram.

His perscrutatis facile patet quam incertus sit decursus Anginae polyposae; vel acutissimus intra aliquot horas aegrum e medio tollit, vel acutus intra paucos dies, nunquam vero undecimam diem excurrit, sive exitium fert sive pristinam valetudinem recuperant aegri.

§. IV.
DE SIGNIS PATHOGNOMONICIS.

Inter signa pathognomonica Anginae polyposae sequentia numerari licet: 1. Raucedo. 2. Tussis cum sono peculiari. 3. Respiratio laesa. 4. Hypoclepsis lymphatico-plastica et 5. Febris; quae cuncta singulatim perscrutari malo.

1. Raucedo hoc symptoma a prima morbi origine ad ejus exitum inseperabilis comes, varium atque varium gradum exhibet modo mitiorem modo fortiorem ita, ut ipsam loquelam difficiliorem reddat et quandoque in ipsa convalescentia existat.

Tus-

Tussis, uti supra vidimus, peculiari sonitu stipatur et ex unico hoc symptomate, boni observatores etiamsi longe ab aegro remoti sunt facillime hunc morbum agnoscunt. Testibus Gregorio et Albersio per aliquod temporis spatium jam morbo exantlato, hic sonitus in medium prodit. De causa tussis digladiuntur inter se medici, alii in sola inflammatione; alii in affectis tracheae nervis et alii, qui Albersium sequuntur, eam in ipsa arteriae asperae, laryngis nec non glottidis exsudatione mutata quaerunt. — Tussis autem pendet ab adaucta irritabilitate internae tracheae tunicae, aut ab eorum quae exsudata sunt irritamento.

Respiratio cujus anomaliae jam diffuse supra enumeravi; causa enim hujus symptomatis, nonnullis mechanica aliis vero dynamica videtur esse; cum omnem respirationem ita perturbatam, partim ab arteriae asperae spasmo, hic ipsa inflammatione, illic lymphae exsudatae collectione oriundo; partim a nimia hujus lymphae secretione, quae stagnans in larynge et trachea impedit, quominus ad pulmones abeat aër, derivent.

Hypoclepsis lymphatico-plastica, luce clarius ipsius inflammationis sequela, et plerumque versus morbi finem in lucem prodit. Illam autem inflammationem et quae hoc in morbo affectae sunt partes et aegrotorum aetas, vere singularem reddunt, praecceteris autem in hac inflammatione correptae sunt arteriae, laryngeae videlicet tracheales et bronchiales, haec enim vasa inflammata simul cum glandulis pituitosis inflammatis ad illam lympham plasticam producendam plurimum valent, ceterum aetas eorum, qui hoc morbo laborant plerumquae est, quae plastica pollet vi, et cuidam inprimis favet exsu-

dationi. Signa enim, quae exsudationis ad augent suspicionem quae sequuntur sunt: acutior tussis sonus, major raucedo, adauctus in aëre hauriendo labor et sputorum singularis ratio. Sputa nimirum prius tenacia et mucosa singulis constant particulis quasi caseosis, aut plastici quid referunt et membranarum simulant formam atque structuram. Ceterum addit Homius, urinam prius limpidam, facta exsudatione, turbidam esse et purulentam, tracheam vero illo tempore tanto torpore affici, ut vel aceti vaporibus aut capsici fumo non irritari videatur. Non supervacuum esse puto si hic dotes pseudomembranae exponam. — Pseudomembrana est vera lympha coagulabilis, ad internam superficiem inflammatam laryngis tracheae bronchiorumque transudata, non differt ab illa quae post venaesectionem in placenta missi sanguinis crustam format inflammatoriam, illius crassities multum variat: a tenuitate chartae scriptoriae, usque ad crassitiem lineae et ultra. Sedes ejus et forma jam prius descriptae, color plerumque albus rarissime candidus sed interdum aliis coloribus mixtus: flavo albus, cinereo albus, rubellus, fuscus etiam niger observatus est; saepe muci tenuitatem habet et expansa facillime laceratur, sed consistentia illius et firmitas nonnunquam tam magna, ut pergamenti instar, viribus resistat lacerantibus; a nonnullis in ea vasa sanguifera visa sunt, ab aliis vita organica non denegata, alii vero semper naturam inorganicam esse putarunt.

Febris denique semper hujus morbi comes varium prae se fere solet characterem. Primo tempore si morbus derepente aegrum invadit, aut inflammatoriam exhibet naturam, aut typo distincta est continuo remit-

tente, si a catarrhali quadam affectione originem duxit. In ulteriori morbi decursu plerumque synochalis comitatur febris, sed in acme haud raro characterem suum inflammatorium mutat, et in mere nervosum abit, quae quidem forma jam citius observatur, si praeviis morbis aeger exhaustus. Causa ejus partim a locali affectione deducenda esse videtur.

Alia enim symptomata, uti: tumor in utrumque laryngis latus; dolor in regione laryngis, tracheae, quae ad signa essentialia spectare videntur, sed quasi minus constantia vix adnumeranda mihi videntur.

§. V.
CAUSAE ET NOSOGENIA.

Momenta proëgumena eminentia in funestissimam hujus anginae speciem praebent; Aetas, sexus, constitutio corporis, habitus, temperamentum, ipse morbus jam axantlatus, anni tempus, tempestas, clima, positio loci et prava educatio pusionum.

Aetas praecipue infantilis, quae quidem non solun ob majorem organorum memoratorum teneritudinem, irritabilitatem, sensibilitatem; sed ob organismi infantilis sanguinem largioris principii glutinosi et lymphae copia scatentem, et inde ob praevalentem nisum formativum ad hujus morbi genesin contribuere videtur; plerumque inter tertium et septimum vitae annum hic morbus invadit infantes; attamen in iis, quibus mammae adhuc porriguntur hunc morbum plures viderunt medici, quibus adnumerantur Alexander, Des-Essartsius et Vaughamius. Alii aut in primo, aut in secundo aetatis anno hoc pluries observarunt malum. Non solum

aetate infantili hoc malum ludit scenam, sed adultos hoc morbo laborantes se vidisse narrant Jahnius et Shervinus. Alii vero uti Ghisius, Desaultius, Hufelandus, Michaelis, Frankius, Sachsius, Vogelius et p. a. viros provectioris aetatis imo senes huic morbo obnoxios esse testantur.

Sexus non minoris dignitatis esse videtur, nam inter tot aegros hoc morbo laborantes plerumque pueri affecti visi fuerunt.

Constitutio corporis, habitus et temperamentum quoque summo jure huc pertinent, cum, qui succi pleni atque obesi sunt infantes, qui tenera cute, ac flavis capillis et, qui temperamento sanguineo, aut sanguineo lymphatico instructi sunt, facillime anginae polyposae succumbunt.

Ipse morbus semel exantlatus; nam infantes qui semel hoc morbo laborarunt modo post paucas hebdomades, modo post plures menses facile in eundem morbum incidunt, et ab Albersio infantes hoc morbo bis terve affecti conspecti fuerunt.

Anni tempus, tempestas et clima hic justum tenent locum, cum quamvis haud raro procatarctica hujus morbi exhibeant momenta, interdum tamen, praedispositioni ad hanc Anginae specciem mirum in modum faveant; nam hic morbus praecipue epidemice a mense Septembri usque ad Martium vel Aprilem suam ludere scenam solet, quo tempore tempestas plerumque frigida, nebulosa atque pluviosa; venti vero sicci, acres, electrici, procellosi perflant, uti Eurus et Aquilo; in regionibus montosis septentrionalibus, udis paludosis, ad litora maris, lacuum, pone amnes lente fluentes, positis.

Prava educatio pusionum. Plures medici causam hujus morbi quaerunt in nimis sollicita capillorum resectione, in ratione amictus contra injuria atmosphaerica, in ciborum animalium aromatum spirituosorum abusu; alii vero in raritate impetiginum capitis atque neglectu purgantium olim tam crebre usitatis; quibus plethora lymphatica infantum minui consuevit (vid. Matei in Horns Archiv med. 1820 4s Heft.)

Causae Procatarcticae.

Praeter supra enumeratas, uti clima, anni tempus, tempestas, prava educatio, huc etiam pertinent: Frigus inprimis si extemplo ac repente admittitur corpori et praecipue si in respirationis organa suam exercet vim et saepissime causam Anginae polyposae sporadicae sistit. Inhalatio oleorum fortem odorem spargentium aliorumque vaporum; nec non omnia quaecumque tracheam mirum in modum irritant. Domicilium humidum. Plures scriptores Anginam polyposam ex proprio contagio oriri probaverunt, inter quos Bartonius, Fieldius, Goelisius, Rosensteinus, Russelius etc. Alii vero uti Alexander, Bernardus, Jonas, Rumseyus, Wichmannus dubii haeserunt, an accusandum sit contagium, nec ne, et Albersius, Chalmersius, Henkius, Jahnius, Michaëlis, Schaefferus, Thilenius aliique hoc contagium neutiquam esse statuendum sibi persuaserunt. Unde an Angina polyposa contagio propagari possit, certo non est evictum. Alii denique Anginae polyposae causam, ab transpiratione suppressa, uti Iurineus, ducere malunt, praeterea nonnunquam cum vel a morbillis variolis, aliisve exanthematibus

acutis, cum vel ab inflammationibus tonsillarum et veli palatini, pharyngis, pulmonum oritur.

Essentiam Anginae polyposae in statu inflammatorio tracheae consistere; ex symptomatibus, decursu morbi, dispositione, causis producentibus, sectione cadaverum, secretione lymphae plasticae et ex efficacia insigni methodi antiphlogisticae evictum est.

Huncce enim statum indolis catarrhalis esse, sequentia confirmare student. Substratum morbi membrana nimirum mucosa tracheae et laryngis. Symptomata per totum fere decursum catarrhalia uti sunt: siccitas cutis etc. Causae producentes analogae catarrho et denique synchronus hujus anginae speciei cum morbis catarrhosis ortus vere praesertim et autumno.

Anginam polyposam ab aliis catarrhalium inflammationum formis et praecipue ab ipsa inflammatione laryngis tracheaeque catarrhalis facile distinguis, si nisum in priori in hypoclepsin lymphatico-plasticam saepe jam primis morbi diebus evolventem suffragante organismi infantilis constitutione, ac altiorem ad phlegmonem inclinantem morbi gradum considerare vis.

Ex his enim nuperrime expositis clare patet, Anginam polyposam in prima origine sive sporadicam sive epidemicam pro catarrho tracheali psyctico ex atmosphaericis injuriis nato, ac peculiariter modificato considerandam esse; sub cujus decursu tamen maleficis circumstantiis concurrentibus aliorum catarrhorum instar contagiosum fomitem extricari posse.

Alii, uti Dzondi, ortum Anginae polyp.: a retentione scoriae cutaneae explicantur et sedem ejus potius in membranis fibrosis laryngis quaerunt; alii vero, uti Bre-

tonneau, Ang: polyposam et malignam identica mala esse defendunt; alii denique, uti Emangard, essentiam hujus morbi in gastroenteritide super collum diradiata reponunt sed hae hypotheses omni fere fulcro experientiae destitutae, supervacuae observandae sunt.

§. VI.
DIAGNOSIS.

Ex symptomatibus hujus morbi in nosographia expositis, diagnosim haud difficillimam esse luculenter apparet; sed pro artis tirone brevi manu differentias morborum, quibuscum ob quandam similitudinem Angina polyposa confundi potest, exponam, uti: cum catarrho pulmonum, nonnullis anginae speciebus; oesophagitide, tussi convulsiva et asthmate Millari. Catarrhus pulmonum et Angina polyposa primo tantum tempore quandam similitudinem propter vocem raucam et asperam inter se habent; sed peculiaris in tussiendo sonitus, raucedinis major vis, respiratio tarda, oppressa, sibilans, interdum dolores in trachea et alia signa qualia in catarrho pulmonum non deprehenduntur, facillime alter ab altero morbo distinguitur. Aliae anginarum species solo adspectu ab an: polyposa distingui possunt; nam in illis conspicimus inflammationem claram, respirationem vix laesam, deglutitionem impeditam, imo cum dolore insigni conjunctam et tussim summe diversam. — In oesophagitide, locus doloris ejusque augmentum si cibi sumuntur, qui, etsi deglutiti sunt, interdum reiiciuntur, ceterum respiratio illaesa est in iis qui hac oesophagi inflammatione laborant. Similitudo quam inter tussim convulsivam et inter an: polyposam observamus, vix talis est, qualem

statuerunt alii. Totius morbi decursus, ipsa mali accessio, tussis ejusque sonus ratio, sputa, raucedo et aëris hauriendi impedimentum, nec non febris diagnosim faciliorem reddunt. Quod vero Asthma Millari adtinet, est morbus mere nervosus, derepente intrat, sine symptomatibus catarrhalibus anginae illi praecedentibus, febris expers, accessus facit periodicos, intervallis raucedine immunibus, spastica vero symptomata nonnunquam afferentibus, tussis ut plurimum rara, quae tamen si adest latratui canis magni, senio confecti analoga, raucedine siccitate notata; dolor fere nullus, tamen si adest fixum non tenet locum; tumor in decursu laryngis nullus, verum percipitur sub insultu quasi constringens circa thoracem compressio; neque urinis saturatis, flavo-rubris flammeis, sed pallidis potius et aquosis stipatur; denique infantes debiles irritabiles, nervosos prae vigorosis et plethoricis invadit, et non nisi sporadice occurrit.

§. VII.
TERMINATIO MORBI.

Angina polyposa sicuti aliae species catarrhorum vel in salutem, vel in alios morbos vel in mortem transire potest.

In salutem transit solito more intra quintum et undecimum diem, partim crisibus idiostaticis, expectoratione nimirum concrementorum variae formae et magnitudinis, vel sputorum mucoso puriformium per plures septimanas continuante, unde respiratio liberior, vox clarior, tussis, suffocationisque impetus imminuuntur; saepe coagula lymphatica ab infantibus exscreare nescientibus deglutita per alvum excernuntur. Quandoque lympha exsudata

cum membrana interna tracheae ita concrescit, ut haec novam quasi membranam accipiat in eo loco in quo inflammatio et lymphae exsudatio fuerunt, et aegros ita sanatos fuisse Cll. Soemmeringius testatur, in cujus museo pathologico talia praeparata inveniuntur, vid. Jurine pag. 72; partim crisibus apostaticis per sudorem universalem copiosum, per largam narium haemorrhagiam vigente inflammatione, per urinas turbidas mucosum sedimentum deponentes criticas; sed transitus in sanitatem tam rarus est, ut plus quam dimidium infantum hacce clade adfectorum ejusdem victimae fiant.

In alios morbos. Mala posthuma quae hunc morbum excipiunt originem suam ducunt vel a residuis particulis pseudomembranae tracheae, hinc inde adhaerentibus, vel a chronica congestione, vel ab erethismo organorum respiratoriorum, qualia sunt: tussis pervicax, raucedo, anhelitus, vox debilis imo vera aphonia ab Jurineo descirpta, in spasmos inclinatio, dyspnoea, asthma. Cl. Jurineus pleuritidem relictam post hunc morbum nobis descripsit. Alii hydrocephalum internum post sanationem hujus morbi viderunt etc., ex parte febris comitis characteris inflammatorii qui in mere nervosum transiit.

In mortem. Transitus anginae polyposae in mortem duplici modo fieri potest, vel per mortem directam sic dictam, suffocatione nimirum ex causis supra enumeratis (vid. Nosographia) orta, et synchrona apoplexia symphoresi sanguinea in encephalon provocata; vel per mortem indirectam phthisi laryngea, asthmate, tussi chronica et febri charactere nervoso secundario evoluto stipante.

§. VIII.

AUTOPSIA CADAVERUM DISSECTORUM.

Habitus infantium hoc morbo extinctorum externus saepe idem est, qualem in suffocatis hominibus deprehendimus; oculi prominentes, venae turgidae, facies pallida plus minus livida hydrope extinctorum illi haud dissimilis, internae oris et faucium partes haud raro aperta inflammationis produnt vestigia, quae praeprimis ad epiglottidem, laryngem et tracheam spectantur vel muco tantum tenaci obductae sunt. In ipsa autem larynge et trachea quaedam exsudatio lymphae plasticae in diversis diversa, observatur. Haec exsudatio vel omnem implet tracheam ab epiglottide usque ad bronchia omnemque laryngem, vel quandam tantum earum partium occupat regionem eamque haud late diffusam, mox superiorem mox inferiorem; hic ea, quae exsudata sunt, fluida quasi conspiciuntur, aut tenuia, mucosa et spumosa, illic ita omnino spissa atque crassa imo fibrosa sunt, ut membranas constituant aliasque induant formas, v. g. canalis in quo haerent, valvularum, imo polyporum; hic arctius affixa sunt iis, in quibus inveniuntur, partibus, ut cultro vix solvantur; illic in iis quasi natant et soluta apparent. Pulmones vel sani sunt, vel cruore livido farcti ac jecinoris adinstar duri. Vena cava ejusque saccus et atria cordis cruore venoso nigricante scatent, aut etiam polyposis concrementis. Nervus vagus et praecipue nervus reccurrens ejus ramus rete vasculoso obductus. Vascula cerebri supra modum sanguine repleta, et cum aegri morte apoplectica extincti fuerunt, tunc temporis haud raro ibi ipsa extravasata inveniuntur, vid. path. Schönlein

pag. 517. Ill. Heimius, qui in pluribus cadaveribus nulla phlogoseos signa invenit, dixit: „si infans tertio aut quarto die hoc morbo laborans moritur, plerumque nullum inflammationis vestigium in larynge observatur, sin vero infans septimo aut octavo die animam exspiret, larynx et superior tracheae pars plerumque inflammatae reperiuntur.“ Sed haece singulares observationes non sufficiunt ad praevertendam fidem peritissimorum hujus artis medicorum.

§. IX.
PROGNOSIS.

Angina polyposa gravissimis morbis adnumeranda est, qua de causa in stabilienda prognosi, si rem generatim considerare velim, nihil certi praedici potest; nam pluries visa sunt talia exempla, ubi pusiones hujus morbi victimae, et quasi in convalescentia versantes derepente morti succubuerunt; tamen speciatim rem perscrutando, ad malam prognosim spectant; si repentina absque symptomatibus catarrhalibus invasio morbi fuerit, febris vehemens; decursus celerrimus cum remissionibus vix animadvertendis, eminens statim ab introitu sub loquela et tussi alienatio soni, respirium et citra tussis accessus molestum horumque accessuum repetitio frequens, cum anxietate ingente et symptomatibus suffocativis juncta. Quo juniores infantes eo majus est periculum, apud hos enim status inflammatorius celeriter finitur, vires facile exhauriuntur, febris mox induit characterem nervosum, tussis cum spasmis respirationis organorum suffocationem minantibus conjungitur, et aliae corporis partes exhaurientibus spasmis convulsionibusque corripiuntur. In-

fantes robusti succipleni plethorici vehementius aegrotant, hinc inde in majus periculum inducuntur, quam debiles et teneri. Angina polyposa quae vero post asperam brumam invadit, autumali semper funestior; in regionibus septentrionalibus secundum experientiam semper periculosior est, quam in meridionalibus et aestivo tempore. Morbo prima et secunda die praeterviso, neglecto aut perverse tractato, raro sanationem admittit. Denique symptomata morbi periculum indicantia sunt: respirationis difficultas continuo crescens, tussis crebra cum spasmis et convulsionibus, potatione, loquela, fletu aliisque incitationibus externis provocanda, rara membranarum crassarum tenaciumque eiectio, facies valde turgida, rubra, livida vel caerulescens; inquietudo, anxietas aut propensio in soporem magna, pulsus arteriarum valde frequentes, molles, parvi, irregulares intermittentes. Signa contraria cum therapia apta et tempestiva laetiorem pollicentur eventum. Inter optimos praenuncios numerantur: sudor universalis in stadii inflammatorii fine, larga epistaxis inflammatione adhuc vigente, urinae transudatione vix incipiente, turbidae, largum sedimentum deponentes album mucosum, transudatione jam facta strepitus peculiaris sub respirio non difficili solutionem lymphae et coagulorum designans, et crebra earum vomitu vel expectoratione ejectio.

§. X.

THERAPIA.

Antequam ad describendam curam essentialem perveniam, pauca quaedam de prophylaxi commemorari fas esse puto.

Cura prophylactica.

Haec enim cura maxima pro parte in causarum remotione ansam huic morbo praebentium innixa est, et summi momenti mihi esse videtur praesertim in his regionibus, ubi jam hic morbus grassari incepit; nam parentes cautelis exponendis praediti, tot suos tenellos ab ingressu illius saevi tyranni liberare valent. Eo itaque anni tempore, quo plerumque Angina polyposa pusiones invadit in eo inprimis allaborandum est, ut ab infantili corpore probe arceatur frigus haud raro praeceteris hunc morbum gignens; hoc enim removetur, partim aptiori, quoad vestimenta regimine, nam infantes, qui calefacientibus vestibus induti sunt, qui neque nudum pectus, nuda brachia, neque capillos resectos habent; minus ab infesto illo morbo tentantur, quam ii in quibus cautio haec negligitur; partim eo, ut tempore matutino vespertinoque coelo pluvioso et nebuloso, atque vento atroci infantibus ad aërem atmosphaericum interdicatur aditus; tandem si fieri potest caute vitetur continuata ad litora maris, pone amnes lente fluentes, aut ad paludes mora; et denique, quod humida domicilia et nuper dealbata conclavia commutentur cum siccis.

Cura essentialis.

Ex magna farragine remediornm quae hoc in morbo suasa sunt, perpauca sunt eligenda, quae bono cum successu aegro praeberi valeant, et ad haec eligenda prius natura morbi observanda est, cui respondet methodus antiphlogistica, sed haec dictio universalis non est sufficiens, nam et haec ad gradum inflammationis, stadium,

ad morbi symptomata, ad aegroti constitutionem et aetatem mutari debet.

Juxta medicorum omnium opinionem et experimentiam Angina polyposa tantum modo efficaci et congrua methodo medendi sat mature adplicata vinci potest.

Tota enim cura duabus indicationibus absolvitur.

1) Domandus est vigor inflammationis imo infringendus et eo ipso transudatio lymphae coagulabilis impeditur.

2) Solvendae et removendae sunt pseudomembranae jam formatae, et simul excitandae vires, quatenus per necessariam methodum medendi hoc licet.

His indicationibus satisfaciunt sequentia remedia: Depletio sanguinis, quae pro casus individualis diversitate, varia esse debet, vel universalis, vel topica vel etiam utraque.

Universalis depletio hoc tantum tempore instituenda est, si suffocatio aut apoplexia instantem mortem minantur, vel si inflammatio summum culmen adtigerat; si tenelli majores natu et robusti; si morbus de repente invadit et quidem tanto in periculo versatur, ut mors suffocativa quove momento impendeat, tunc temporis Ferriar, Bard, Albersius et alii venaesectiones ad animi deliquia usque protractas proposuerunt. Nonnunquam detractio sanguiuis repetenda est, praesertim si robustis infantibus suffocationis periculum et congestio ad caput minans citum auxilium postulant; etsi a priori sanguinis missione non longum tempus praeterierat.

Quod locum et modum adtinet, alii venam brachii, alii venam pedis, alii venam jugularem aperiri jusserunt,

alii denique arteriotomiam instituerunt, ut Duntzius medicus Bremae bis arteriam temporalem, bono cum successu incidit; sed hanc operationem saepissime aneurysma excipit et tristia unde exempla visa sunt a Dr. Busche in Irlandia (vid. Frorips Notizen 1829 Nr. 498.) qui ad haec evitanda subligationem hujus arteriae operatione instituta commendat.

Depletio topica. In infantibus tenerae aetatis infra annum cum dimidio, sicuti inflammatione primum incipiente et modica, febrique exigua, aequam ad symptomata topica rationem non tenente, convenit et sufficit, sine phlebotomia hirundines duas, quatuor vel plures pone laryngem et tracheam, vel pro evitandis inquietudinis, ejulatus, refrigerii et deligationis incommodae damnis, ad brachia alterutra adplicare; et stillicidium sanguinis pro necessitate e locis ab hirudinibus inflictis sustineri potest, quod maxima pro parte spongia aqua frigida humectata absolvitur; et si tali modo stillicidium non est sustentum, tunc vero pulvis stypticus adhibetur, v. g. Rp. Gummi arabici, Gummi kino anaticae partes, vel, secundum Rustium et Vedermayerum puncta haec cum lapide infernali tanguntur. Saepissime sanguisugae in infantibus adeo majorem virtutem exerunt, quam venaesectio, quia ad locum, ubi sedes inflammationis est adplicantur, et prius quam phlebotomia levamen adferre solent.

Earum virtus praecipue in eo posita est, ut inflammationem tracheae et laryngis diminuant tollantve et exsudationem lymphae coagulabilis, si jam facta est inhibeant, qua re in summo morbi fastigio hirudines adplicantur, quia exsudatio per totum decursum morbi

perdurat. Depletio sanguinis per hirudines; si periculum in mora non est praeferenda phlebotomiae, nam ea infantes non tam debilitemus, ut morbus in pejorem exitum abeat, et nunquam per ea damnum quoddam efficitur. Nonnunquam statim manifestum est earum commodum, nam hac sanguinis jactura, quam hirudines procreant, respiratio levissima fit, interdum infantes jam hirudinibus sugentibus levamen sentiunt.

Utraequae depletiones indicatae sunt, si ominosa symptomata in medium procedunt et periculum in mora adest; sed tali in statu phlebotomia locali depletioni praetereunda est. Sanguis e vena missus secundum Autenriethii, Harlesii et Lentini observationes admodum fuit glutinosus atque coagulabilis.

Effectus sanguinis detractione obtinendus sustentatur, enematibus lenitivis, cataplasmatibus ad collum emollientibus, fomentationibus, inspiratione vaporum emollientium ex aqua, lacte, Dcto. Althaeae, ope spongiae his imbutae et ori infantis admotae hauriendi; semicupiis, pediluviis, summa autem cura adplicandis, ne refrigerium capiatur. Interne autem remediis emollientibus mucilaginosis, diaphoreticis, eccoproticis; haec quidem adiuvantia remedia sunt admodum utilia, sed raro morbo vincendo sola sufficiunt. Neque spernanda forent lavacra frigida in illis anginae polyposae casibus, qui cum cutis ariditate et calore mordaci incedunt; Harderius, Müllerus, Bischoffius et alii efficaciam hujus praesidii evictam habuerunt, quam et analogae in morbis catarrhosis experientiae sperare sinunt.

Si haec medendi methodus malum non prorsus profligavit, aut si morbus recidivus observatur vel metus

suf-

focationis potius ex stasibus passivis, vel ab inerti pseudomembranarum separatione dependeat; indicatum est ad collum Emplastrum vesicatorium, quod perutile esse Albersius, Lentinus aliique censent, quodque omni ex parte Leislerus et Rumseyus vituperant. Effectum hujus medicaminis, qui illo utuntur in eo ponunt, ut inde inflammatio aut revellatur aut profligetur et spasmus tollatur. Ne pessimae indolis oriantur ulcera alii vesicatorii commendant usum, qui cutem tantummodo rubefaciat, alii ope vesicatorii non solum vesicam, sed vel adeo suppurationem provocant, cum major cutis irritatio maximae sit utilitatis.

Inter remedia quae interne adhiberi solent Mercurialia maximam laudem et merito quidem assecuta sunt; quamvis Albersius et Jurineus rarius hoc remedium adhibuerunt, atque anginam polyposam sine hoc remedio curandam esse contendunt, tamen observationes peritissimorum hujus artis virorum virtutem magnam hujus remedii in hoc morbo affirmant. Ex mercurii praeparatis eligitur Hydrargyrum muriaticum mite, ast larga dosi et maxima cum assiduitate exhibetur. Medici Americani ac inter illos Andersonius, Bardius, Rushius primi fuerunt, qui magnas in usum traxerant hujus praeparati doses, ita quidem, ut teneris infantibus, plus quam viginti grana intra nychthemeri spatium propinaverint. Eorum exempla secuti sunt Angli et Germani in specie Hamiltonus, Girtanerus et Autenriethius. In convenienti usu Calomelanos, inflammatio adhuc perstans optime refringi et incommoda transsudationis lymphae praecaveri possunt; nullum enim adhuc Mercurio efficacius innotuit remedium

ad plasticam humorum conditionem infrigendam morbosasque membranarum mucosarum secretiones corrigendas. Optimum hoc remedium, quod simul cum applicatione hirudinum, aut certe, quod autem minus aptum est, statim post sanguinis detractionem praeberi debet. Dosis ex morbi vehementia, aetate aegri, et constitutione determinatur. Aegris infra tertium aetatis annum constitutis granum dimidium; duae tertiae; aetate majoribus granum unum ad duo cum saccharo confecta, quavis hora exhibeantur, et quidem donec plures sequantur alvi pultaceae, mucosae, viridescentis aut fuscae secessus, quibus plerumque notabilis succedit euphoria. Ut cura in casu gravi et antea neglecto quantocyus acceleretur etiam Unguentum neapolitanum juxta decursum vasorum lymphaticorum colli inungere juvabit, superposito dein cataplasmate; unguentum hoc illinitum ad solvendam lympham coagulatam multum adfert, qua re usus internus hydrargyri apte cum usu ejus externo conjungendus est. Etiamsi unguentum mercuriale solum illiniri potest non sine utilitate, tamen Cl. Heckerum unguentum hydrargyri cum linimento volatili conjunctum ob citiorem ejus effectum praeferendum esse experientia docuit, et Cel. Lentinus unguento Werlhofii bono cum effectu usus est, de quo inferius. Quam primum vero ptyalismi instant signa a mercurialibus recedendum, si vero tormina et dolores in abdomine, atque diarrhoea valida adsunt, tum postulant moderationem additamentis opii, enematibus obvolventibus ex amylo e. s. p.

Emetica summi momenti remedium in hoc morbo sistunt, quorum usum alii medici initio morbi ante de-

tractionem sanguinis, inter quos **Albersius**, **Crawfordus**, **Rushius** et plures commendant et vix unum, qui primo morbi tempore emeticum accepisset, mortuum esse arguunt; alii vero hoc tempore omnino contemnunt, inter quos **Homium**, **Marcum**, **Michaëlem** numerere sufficit, sed cautius esse censeo praeceptis meorum optimorum professorum imbutus, si emetica post depletionem sanguinis in usum provocanda sunt, nam emesi si inflammatio vehemens est, facile augetur. Emeticorum enim usus triplici ex causa in hoc morbo exoptatissimus est, primum emetica quandam in partibus inflammatis generare contendunt mutationem, quae etsi non statim omnem removeant inflammationem, tamen id efficiant, ut minor lymphae plasticae secernatur copia et, ut, haec ob conquassationem totius corporis ab iis próductam ex larynge et trachea ejiciatur; secundum emetica solvunt spasmum, qui hoc morbi tempore in organis affectis haud raro evidenter adsit; et denique emetica diaphoresim provocant summe optandam. Inter emetica, quae hic adhibentur: Tartarns emeticus, Vinum stibiatum, radix Jpecacuanhae, Zincum sulphurium, Oxymel scilliticum nume"anda sunt. Qui emeticis utuntur postulant, ut emeticum larga dosi adhibeatur, ob minorem sensibilitatem ventriculi ex symphoresi vel potius pressione sanguinis ad enkephalon ortam. Quare alii grana tria Tartari stibiati; alii grana quinque in tribus unciis aquae destillatae soluta, et ex hac solutione cochlear majus vel minus prouti signa urgent in intervallis quatuor horarum porriguntur; et si emesis non sequitur Vitrioli albi grana duo in aqua destillata soluti com-

mendant. Vini stibiati quod praecipue Lentinus suadet et prospero cum successu saepissime adhibuit dandae sunt pro dosi guttae decem in intervallis quatuor horarum. Cupri sulphurici, quod recentiori aevo Henr. Hoffmannus, Frischius, Gittermannus, Kortingius, Zimmermannus et alii commendarunt, alii grana tria ad quatuor scopo emetico praemittunt ac reliquam curam refractis dosibus a $\frac{1}{4}$ parte grani ad integrum omni bihorio propinandis prosequuntur; sed usus hujus remedii summa cautela institui debet.

Expectorantia indicantur, si inflammatio prius remediis domita est, et superest tantum separatio membranularum, quibus praesentibus respiratio per vices summopere angitur ac vita infantis recenter periclitatur. Maxima circumspectione opus est, ne medicus spe extinctae prorsus phlogoseos fretus ad praematurum usum remediorum acriorum quae passim expectorantia audiunt seducatur; et quousque signa latentis adhuc inflammatoriae reactionis adfuerint, semper antiphlogisticis lenioribus insistendum, quae in hoc casu optima simul evadunt anacathartica.

Inter expectorantia spectant:

Sulphur stibiatum aurantiacum, cujus dosis singula infantibus natu minoribus $\frac{1}{4}$: $\frac{1}{2}$ grani vel solum vel cum ipecacuanha aut calomelane conjunctum.

Sulphur stibiatum rubrum vel solum vel cum calomelane, aut camphora conjunctum Albersius suadet et sequenti in formula adhibuit:

℞ Syrupi Althaeae Unciam unam
Mucilag. Gummi arab. Unc. semis
Camphorae grana quatuor
Sulph. stib. rubri gr. tria.
M. f. Linctus.
S. Omni bihorio duo cochlearcula.

Haec compositio: „infanti tremulo convenit certe ab initio, inquit, et consumenda est intra sedecim vel octodecim horarum ad summum intra nychthemeri spatium."

Hepar sulphuris alcalinum recentissime a Doubleio, Wesenerio, Bischoffio celebratum et a Senffio ut specificum reclamatum, hic enim plurimas observationes de hoc remedio fecit et infantibus tenerioribus, usque ad quatuor annos natis granum unum ad sesqui; infantibus vero ad octo annos natis grana duo ad tria, omni bihorio aut quadrihorio porrigi suasit; et cum hoc remedio, sine ullo alio tricies et semel hunc morbum intra triginta et sex horarum spatium se sanasse affirmat, et historiis morbi in suo opere: Ueber die Wirkungen der Schwefelleber etc. approbat.

Forma enim qua utebatur fuit vel pulvis, quos non multos dispensari jussit, summae liquescentiae hujus remedii causa, et ob saporem et odorem ingratum nauseosum cum Eleosaccharo Menthae piperitae conjunctum commendat, vel. pilulae sequenti formula:

℞ Pulv. Kali sulphurati
Extr. Liquiritiae aa drach. semis
Melis despumati q. s.
ut f. pil. Nro. LX.
D. ad vitrum bene clausum.

Solutio cum aqua aromatica propinavit sequenti formula et modo:

℞ Kali sulphurati grana XXIV. ad XXX.
Aquae rosar. s. Menthae piperit. Unc. semis
M. sine filtratione divide in 17 partes aequales.

Ds. Omni bihorio vel trihorio partem dimidiam unius dosis cum cochl. hujus remedii:

℞ Gummi Mimosae drach. sex.
Aquae cerasor. nigr. Unc. quinque
Syrupi Cinnamomi sesqui Unciam
M. Ds. Uti superius.

Hoc enim remedium ab aliis adhibitum desideratam efficaciam nondum patefecit et ob acres virtutes non nisi devicto stadio inflammatorio tentari posset ad promovendam coagulorum lymphaticorum separationem.

Ex regno plantarum, radices scillae, Polygalae Senegae et plures medicorum se anginam polyposam sola Polygala Senega sanasse confirmant; sed secundum Richterum et Lentinum exeunti morbo, respiratione difycillima et stertorosa stipanti et jam hydrargyro opugnato auxilium fert.

Formula apta est:

℞ Radicis Polygalae Senegae drach. duas
— Althaeae Unc. semis
coque cum aquae fontanae Unc. decem
ad remanentiam Unc. quinque
Collaturae fortiter expressae
adde
Syrupi Senegae Unc. unam.
M. S. Omni hora cochlear.

Si vero characteris nervosi indicia evolvuntur et

vires aegri franguntur, tunc statim a methodo antiphlogistica recedendum et quantocyus ad methodum antagonisticam recurrendum, hinc sinapismi et vesicantia ad suras, ad brachia, ad sternum intra scapulas circa collum; interne autem cum his in usum provocantur mox nervina et antispasmodica, mox alterantia et incidentia, mox stimulantia remedia, quae nunquam initio morbi et sub regularis ejus decursu, ut absolute characteri inflammatorio contraria, adhiberi debent. Inter potiora remedia a variis medicis tunc temporis proposita quae sequuntur adnumerari merentur, quorum selectum quivis medicus casui et circumstantiis adaptare sciet.

Opium, Camphora, Moschus cum Calomelane junctus (Wigand); Asa foetida praesertim forma clysterum, Valeriana (Jurine, Vieusseux); Sal volatilis cornu cervi, camphorae nuptus (Wolf Varsoviensis); Sal ammoniacus; Kali carbonicum (Helwag et Voss); Polygal. Senega, squil., Extractum Hyoscyami (Tribolet); Ammonia pura vel carbonata, tum interne ad tres quatuorve guttas, tum externe collo illinita (Caron). Optime in connubio cum mucilaginosis et diaphoreticis, vel sub continuato calomelanos usu nisi ptyalismus obstet exhiberi solent. Notandum adhuc mihi restat, spasmos solito more cum hoc morbo conjunctos plerumque initio morbi suam scenam ludere maxima pro parte ex phlogosi ortum suum ducere, quare tali in statu ad antispasmodica recurri non suadeo, priusquam inflammatio mitigata est.

Inter spasmodica Moschus prae aliis palmam sibi arripuit, ita ut Cel. Wigandus Moschi grano uno cum calomelanos granis tribus ad quinque et hanc composi-

tionem omni bihorio adhibens, sedecim infantes a morte liberavit, ubi spasmi continui, tussis vehemens, periculum magnum suffocationis, summa similitudo cum asthmate Millari et respiratio difficilima. Cel. Albersius moschum cum sulphure stibiato rubro conjungere solet et Cel. Heckerus a Extractum Hyoscyami cum calomelane adhibet et Cel. Hufelandius Aquae lauro cerasi guttas XX.: XXX. pro dosi omni bihorio commendat.

Usus sternutamentorum nec non vaporum aceti Aetheri sulphurici vel ammoniae, maxima eget circumspectione.

Tracheotomia et Laryngotomia in summo periculo a pluribus propositae, sectarores non invenerunt, et opinione recentioris aevi medicorum oblivioni jure merito traditae sunt.

In reconvalescentia. Debilitas universalis aeque ac topica sensibilitas nimia et irritabilitas, diaeta et remediis adcommodatis demulcentibus et tonicis, aëre puro sereno aut blando tepidoque tollendae nec non omnes causae ansam huic morbo praebentes fugiendae sunt.

Remedia specifica.

Exposita cura essentiali, pauca quaedam de remediis specificis in hoc morbo ab variis medicis propositis commemorari fas esse credo.

Remedia interna.

α) Ammonium carbonicum a Caronio, Rechovio.

β) Calcaria sulphurata et spongia usta in parva dosi ab Grossio. Med. h.

γ) Digitalis purpurea a Pearsonio et nonnullis Anglorum medicis.

δ) Gaz azoticum a Thorntonio.

ε) Kali sulphuratum a medicis Gallicis et praecipue a Senffio.

ζ) Kali carbonicum ab Helwagio et Vossio.

η) Nervina a Brownio et ejus asseclis.

ϑ) Potus Coffeae arabicae a Bartonio.

ι) Sal ammoniacus praecipue in adultis a Chamerlato.

Remedia externa.

Balnea calida a Vieusseux, Cheynio, Duncano et aliis, cum hac cautela ne aegri refrigerentur.

Clysmata ex Aceto Vini et aqua tepida ab Autenriethio.

Inhalationes vaporum naphthae aceticae a Gutfeldio.

Haustum vaporum naphthae vitrioli a Pinelio.

Pediluvia a Doubleio, Michaeli, Pinelo et aliis.

Sternutamenta a Chambonio, Doubleio, Lentino.

Vapores acidorum vegatabilium et mineralium a Schwilgueio.

Medendi methodos anginae polyposae proprias ab Sachsio, Autenriethio, Lentino et aliis propositas si rite describere vellem, limites hujus libelli transirem, quapropter de methodo curandi Lentini mentionem facere sufficit.

Ille enim sequentem medendi methodum proposuit:

1) Hirudines ad collum.

2) Unguentum Werlhofii (Axungiae porci Uncia una Mercurii praecipitat. albi drach. una) vel neapolitanum collo infrictum.

3) Vesicans intra scapulas.

4) Aliquot guttulae Elixirii regis Daniae, cujus compositio:

℞ Extr. Liquirit. drach. tres
Aq. Foeniculi libr. unam et semis
Semin. Anis. contus. Unc. semis
Liquor. Ammon. vinos. libr. unam et semis.
Dig. p. hor. 24.

5) Adplicatio panni xylini Camphora imbuti ad pectus.

6) Emetica repetita; quae omnia eousque continuanda jubet, donec fluctuatio membranularum separatarum percipiatur, quarum ejectionem tandem ptarmicis promoveri contendit.

VITA.

Ego Vincentius Odrzywolski, Polonus Craco-viensis, anno MDCCCVIII., religionis catholicae, patre Adamo, matre Josepha, e gente Pieniazek natus, quos praematura morte mihi ereptos semper lugebo. Primis litterarum rudimentis partim domi partim in Lyceo Cracoviensi Stae. Annae dicto imbutus, ubi testimonio maturitatis praeditus anno MDCCCXXX. in numerum civium almae Universitatis Jagellonicae a Magnifico t. t. Rectore beato Gürtler, receptus, sequentibus interfui praelectionibus: De philosophia theoretica et practica nec non historia philosophiae Cel. Rzesinski; Historia universali, Geographia et Statistica Beat. Czermienski; Physica theoretica et experimentali Ill. Mar-

kiewicz; Mathesi inferiori Ill. Szopowicz; Zoologia et Botanica Ill. Estreicher; Mineralogia Ill. Zeiszner; Chemia, Pharmacia et Pharmacologia Ill. Fl. Sawiczewski; Anatomia theoretica et practica atque Physiologia Ill. Kozlowski; Pathologia et Therapia generali, Materia medica Ill. Jakubowski; Art. obstetric. theoretic. et practic., Gynaecologia et Paediatrica Ill. Soczenski; de Chirurgia theoretica, morbis oculorum et Syphilide Ill. Bierkowski; Akiurgia, Mechanurgia et Desmurgia Ill. Bierkowski; de Veterinaria theoretica Ill. Mayer; Pathologia et Therapia speciali morborum internorum atque Exercitat. clinicis Ill. Brodowicz, h. t. Decan. Exercitat. clinicis morborum externorum Ill. Bierkowski, post quinque annos ibi interiectos. Anno denique MDCCCXXXV. Berolinnm me contuli et a Magnifico h. t. Rectore Ill. Busch, civibus academicis in Universitate litteraria Friderica Guilelma adscriptus; apud Ill. Müller h. t. medic. facultatis Decanum nomen dedi.

Praelectionibus sequentibus interfui: De Anatomia theoretica et organorum sensuum Ill. Müller; Politia medica Cel. Nicolai; Medicina forensi Cel. Casper; Historia medicinae Ill. Hecker; Morbis nervorum Cel. Romberg; de arte obstetricia cum exercitationibus ad phantoma Cel. Wilde. In exercitationibus clinicis usus sum: Clinica morborum infantium Cel. Barez; Clinica obstetricia Ill. Busch; Clinica chirurgica et

ophthalmiatrica Ill. de Gräfe, Clinica chirurgica Ill. Rust et Dieffenbach; Clinica morborum internorum Cel. Wolff; Clinica morborum syphiliticorum Ill. Kluge; operationibus akiurgicis in cadaveribus exercuit me Ill. Schlemm. Quibus omnibus praeceptoribus maxime de me meritis palam summas, quas habeo nunc gratias ago.

Tentamine rigorosoque examine coram gratioso medicorum ordine peractis, spero fore ut, dissertatione thesibusque rite defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Angina polyposa et Asthma Millari longe inter se differunt.
2. Febris intermittentis dispositionis substratum in systemate gangliari quaerendum est.
3. Phlogosis conditio est, sine qua angina polyposa explicari non potest.
4. Causa typi Febrium intermittentium a principio macrocosmico dependet.
5. Embryotomia Sectioni Caesareae praeferenda est.
6. Colorum vegetabilium destructionem ope Chlorii institutam haud ab Chlorio sed Oxygenio dependere contendo.